INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI II

IMPERATORIS GERMANICI

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES AESTIVOS A. MDCCCLXXXXII

A DIE XX M. APRILIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

Insunt EPICTETI et MOSCHIONIS sententiae
ab Antonio Elter editae

BONNAE 1892

EX CAROLI GEORGI TYPOGRAPHEO ACADEMICO

RECTOR ET SENATVS

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

CIVIBVS

S.

Epicteti nomine apud Ioannem Stobaeum sententiarum magnus numerus legitur, quas Epicteti non esse inter viros doctos constat, nam neque in dissertationum libris servatis talia reperiuntur et a disciplina Epictetea aliena sunt, sed ad Sexti et Pythagoricorum sententias nuper editas multo propius accedunt et eiusdem fere aetatis similisque ingenii produnt scriptorem gnomicum dignum potius qui cum illis quam cum Epicteto conferatur. quisquis autem composuit aut Epicteti nomen inscripsit, in florilegiis eadem saepius Moschionis cuiusdam nomine feruntur, et in Moschionis quae exstant sententiarum collectionibus multa insunt cum illis communia; quae apud Stobaeum non reperiuntur, et ea ita comparata sunt, ut eundem auctorem facile agnoscas sive Epictetum personatum sive Moschionem quem aeque ignoramus. et licet numero delectu dispositione sententiarum longe inter se differant atque speciem praebeant diversissimam, tamen adeo ea omnia inter se cohaerere, ut facili opera illud gnomologium unde et Epicteti et Moschionis q. d. sententiae fluxerint in pristinam formam restitui eiusque natura atque indoles monstrari possit, dudum intellexi cum Moschionis collectiones tum ineditas pertractarem. has interim Henricus Schenkl ex suis meisque schedis protulit (die epiktet. Fragmente 1888, p. 77), nunc idem et Stobaei Epictetea et Moschionis florilegia duo singula deinceps apte exhibuit in Epicteti dissertationum editione (append. C—F) p. 461 sqq. quare iam meum esse duxi ut post Sextum hoc quoque gnomologium sive Epicteti sive Moschionis dicere malumus ex variis syllogis in antiquum statum reductum proponerem.

agitur autem de collectionibus hisce:

C) de sententiis Epicteti quas per varia capita distributas servavit Stobaeus (Epictet. ed. Schenkl app. C p. 461), quibuscum coniungendae sunt

D) sententiae Epicteti quas cum Stobaei fragmentis codicis Vaticani 1144 nuper edidi (mus. rhen. 47, 130, Schenkl app. D p. 479), ita ut eius quod excerpsit Stobaeus gnomologii Epictetei has habeamus partes

Ecl. II fr. 11—14 (D 1—4) ex cap. 11 ὅτι χρὴ σέβειν τὸ θεῖον

Ecl. II fr. 17—21 (D 5—8) ex capp. 32 sqq. περὶ φιλίας

Flor. 1, 125—171 Hense (cf. mus. rhen. 39, 392) = 1, 46—52. 5, 84—106. 1, 54—57. 5, 107—117. 3, 77—78 Mein. (C 1—47) ex cap. περὶ ἀρετῆς

Flor. 9, 40—48 Mein. (C 48—56) ex cap. περὶ δικαιοσύνης

Flor. 45, 19 Mein. (C 57) ex cap. περὶ τῶν ἐν ταῖς πόλεσι δυνατῶν

et Flor. 46, 79—88 Mein. (C 58—67) ex cap. περὶ ἀρχῆς.

his accedunt

F) Μοσχίωνος ὑποθῆκαι (inc. Παραφύλαττε σαυτὸν κτλ.) in multis codicibus traditae (Schenkl app. F 1—18 p. 486) et

E) Μοσχίωνος γνῶμαι (inc. Βέλτιον ὀλιγάκις κτλ.) collectionis amplissimae Parisiensis (cod. 1168) prof. 300—324 (Schenkl app. E 1—25 p. 481). inter has syllogas quae ratio intercedat quaeritur.

ac primum quidem mirum est Moschionis illas recensiones saepius cum Epicteteis quam inter se congruere, nam coeunt E 2 = F 16 et E 8 = F 6; contra F 11—13. 16. 18 = C 1—3. 7. 9 et E 9. 10. 11 = C 13. 15. 27, unde elucet non ita diversa ea esse ut de communi fonte desperandum sit, nam apparet subesse ordinem ex quo omnes pendeant eumque prae ceteris a C teneri. neque tamen ab ordine descivit F, nam ita convenit inter C et F, ut ordine religiose servato ex pleniore sylloga suum uterque delectum instituisse censendus sit, et si C et F componas illam recuperaveris: F 1—10 || F 11—13 = C 1—3 || F 14. 15 et C 4—6 || F 16 = C 7 || F 17 et C 8 || F 18 = C 9. quare hoc simul efficitur F non totius operis, sed exordii tantum esse epitomen, nam ultra F 18 = C 9 non pertinet.

paullo difficilior res est in E, sed ex parte vidimus ordinem eum sequi cum F C consentaneum: E 8—11 = F 6. C 13. 15. 27; idem cadit in priores eclogas

huius recensionis, nam E 1. 2. 7 = C 4. 7 (= F 16). 36. quod explicari nequit nisi sumimus collectionis E conditorem non semel sed iterum antiquam syllogam excerpsisse. quae si recte statuimus, haec quoque eodem modo quo F cum C coniungendae et E 3—6 inter C 7 et C 36 inserendae sunt, ita ut quattuor iam nacti simus epitomas C, F, E 1—7, E 8 sqq. sed plures supersunt Stobaei epitomae, cum non uno tenore omnia descripserit, sed hinc illinc ea deprompserit quae in singula capita distribueret, ut C 1—47 selegit quae in capite περὶ ἀρετῆς poneret. cum his fortasse alia olim coniuncta erant quae Stobaeus suis rationibus ductus aliis capitibus consignavit. atque recurrunt D 5 = E 12 (quae est alterius epitomae E) et D 8 = E 5 (quae est prioris E). qua re ni fallor demonstratur D 5—8 certe inserendas esse inter E 11 et E 7 = C 27 et C 36. quinta igitur est epitome D et quinque epitomis contextis hac quidem in parte (ab F 1 usque ad E 5 = D 8) antiquae syllogae imaginem et exemplum locupletissimum tenebimus, ut ex tabula infra proposita facile intellegetur.

...	..	..	...	D 1—4	i. s. 1-4
F 1-5	..	..	...	...	s. 5-9
F 6	..	..	E 8	...	s. 10
F 7-10	..	..	...	...	s. 11-14
F 11	C 1	..	...	...	s. 15
F 12	C 2	..	...	...	s. 16
F 13	C 3	..	...	...	s. 17
...	C 4	E 1	...	...	s. 18
F 14.15	..	..	...	[cf. Fl. 13, 33-	s. 19. 20
...	..	..	...	35]	s. 20[a]
...	C 5. 6	..	...	...	s. 21. 22
F 16	C 7	E 2	...	...	s. 23
...	C 8	..	...	...	s. 24
F 17	..	..	...	[cf. Fl. 97, 30]	s. 25
F 18	C 9	..	...	...	s. 26
· —	C 10-12	..	...	...	s. 27-29
	C 13	..	E 9	...	s. 30
	C 14	..	...	...	s. 31
	C 15	..	E 10	...	s. 32
	C 16-26	..	...	...	s. 33-43
	C 27	..	E 11	...	s. 44
	..	..	E 12	D 5	s. 45
	..	..	...	D 6. 7	s. 46. 47
	..	E 3. 4	...	...	s. 48. 49
	..	E 5	...	D 8	s. 50
	..	..	E 13. 14	...	s. 51. 52
	..	E 6	...	...	s. 53
	C 28-30	..	...	...	s. 54-56
	..	..	...	C 48—52	s. 57-61
	..	..	E 15	C 53	s. 62
	..	..	...	C 54—56	s. 63-65
	C 31-35	..	...	...	s. 66-70
	C 36	E 7	...	...	s. 71
	C 37-47	..	...	...	s. 72-82
	C 57-67	..	...	...	s. 83-93
	..	..	E 16 sqq.	...	s. 94 sqq.

de s. 1—4 et 51 sqq. cum singulis mox videbimus, interim paullisper subsistamus. dixi nuper cum Clitarchum ederem in describenda gnomologiorum historia a codicibus semper proficiscendum esse. nunc si eclogas eo quem supra constituimus ordine comparaverimus, statim apparebit quam iuste rem egerimus. nam ipsas illas diversarum collectionum sententias in unum locum convenire videmus, quibus idem argumentum tractatur, atque cum in singulis collectionibus velut in E nullo fere ordine se excipiant, epitomis compositis optime omnia decurrunt et lacunae quibus antea hiabant quasi sponte supplentur; e. g. C 27 = E 11 (s. 44) est περὶ φιλίας, eandem autem rem spectant et E 12 = D 5 et E 5 = D 8 (s. 50) et quae intercedunt D 6. 7 et E 3. 4 quae antea inter E 2 (= C 7 F 16) et E 5 suspensae haerebant, ita ut eo quem diximus modo coniunctae egregiam sententiarum περὶ φιλίας seriem (s. 44—50) efficiant. qua re non solum pristini gnomologii ordo restituitur et qua ratione singulae sententiae inter se disponendae sint definitur — velut D 5—8 cum C 27 recte coniungi, non tamen coire cum C 28—35 si argumentum respicimus manifestum est (de E 13. 14. 6 cf. adnot.), aut C 8 Ἐξέταζε σαυτόν, πότερα πλουτεῖν θέλεις ἢ εὐδαιμονεῖν κτλ. collocandam esse ante F 17 Μὴ φεῦγε πενίαν κτλ. — sed ordine restituto natura quoque et compositio illius gnomologii aperietur ut infra accuratius persequemur.

vidimus Stobaeum largam quidem copiam sententiarum in capite περὶ ἀρετῆς exhibuisse (C 1—47), partem tamen (D 5—8) exsecuisse (inter C 27 et 28) et capitibus περὶ φιλίας dedisse. tertium excerptum ex Epicteti sententiis posuit in capite περὶ δικαιοσύνης (C 48—56). quod quem locum olim tenuerit iam investigandum est. atque quoniam scriptorem cognovimus de eodem argumento plura deinceps proferentem, certe eclogas illas περὶ δικαιοσύνης Stobaeum uno loco coniunctas repperisse, non ipsum variis partibus sparsas collegisse censebimus, ut E sententias hinc illinc delibatas contulit. iis autem quae supra composuimus eas praemissas fuisse propter F 1—9 probabile non est, quibus procul dubio profanarum sententiarum initium continetur; locum multo inferiorem fuisse monstrat E. nam cum E 11 = C 27 (s. 44), E 12 = D 5 (s. 45), E 13. 14 = s. 51. 52 verisimiliter fuerint, iam E 15 = C 53 esse animadvertimus. itaque C 48—56 ante s. 53 collocandae non sunt. neque tamen ut nunc in Stobaeo leguntur eclogas περὶ δικαιοσύνης post

eclogas περὶ ἀρετῆς i. e. post C 47 demum exstitisse putaverim, nam C 47 et C 48 tam diversi sunt argumenti ut in antiqua sylloge hanc illam excepisse nullo modo credi possit. ita enim qui hoc gnomologium confecit sententias inter se conexuit ut non solum de eadem re plura deinceps componeret, sed etiam verborum et sententiarum quadam similitudine ductus ad nova procederet. sic quae cum C 47 coniungenda sint mox apparebit. C 48—56 autem si neque subiungendae sunt neque praefigendae sed uno loco inserendae, i. e. si Stobaeus in serie C 1—47 post s. 52 eas omisit utpote capiti nono aptiores quam primo, ut D 5—8 seposuit utpote libri II capitibus περὶ φιλίας magis convenientes, vix aliam sedem ab iis desertam esse conieceris quam post C 28—30 (s. 54—56) ubi agitur περὶ ἀληθείας καὶ δόξης, praesertim si conferas s. 11 καὶ δίκαιος οὐχ ὁ διὰ δόξαν τι νείμας ἀλλὰ δι' ἀλήθειαν et C 48 quae incipit Ὥσπερ ἀληθὴς ζυγὸς . . . οὕτω καὶ ὁ δίκαιος κριτὴς κτλ. nam tali modo verborum quadam repetitione solere nostrum gnomologum sententias inter se conectere infra videbimus. quare dum nova auxilia afferantur quibus aequior locus indicetur, C 48—56 (cum E 15 = C 53) inter C 30 et C 31 (qua de cf. adn.) ut s. 57—65 inserendas esse duxi.

facilior autem res est expeditu in ceteris quae Stobaeus servavit excerptis. atque quae in Flor. cap. 45 et 46 descripsit περὶ τῶν ἐν ταῖς πόλεσι δυνατῶν καὶ ἀρχῆς (C 57—67) quin ea quoque uno loco item coniuncta invenerit dubitari nequit. ex E quae comparari possint ut illarum ope quo referantur cognoscamus non adsunt, tamen de sede ambigendum non est. nam quominus inter C 1—47 inseramus argumento prohibemur ab illis diverso. sed eclogarum C 1—47 ultimis proponuntur οἰκονομικὰ quaedam et omnium extrema C 47 comparatio est de navigio petita, ab eadem autem imagine incipiunt C 57—67, ita ut illa transitum fieri appareat ad πολιτικὰ quae certe cum ultimis inter C 1—47 et rebus et stilo congruunt. quin etiam C 47 et C 57 et verbis et sententia tam arte inter se cohaerent ut, nisi illius memineris, quid C 57 sibi velint verba αὐτὸς ὀλίγοις ἀρκούμενος non prorsus intellegas. itaque C 57—67 cum C 1—47 (= s. 15—82) coniungere et his illa continuare (= s. 83—93) non dubitavimus; simul vides quam recte C 48—56 (περὶ δικαιοσύνης) a C 47 procul habenda esse supra contenderimus.

unum superest Stobaei excerptum seu potius excerpti exile fragmentum Vaticanum D 1—4 i. e. sententiae de deo, quas ex more illius aevi initio omnium positas fuisse non probabilis coniectura sed res est certissima. de eclogis quibusdam a Stobaeo Pythagorae (Flor. 13, 33—35) aut Hypsaei nomine (Flor. 97, 30) citatis postea dicetur.

restat E, non simplex sed duplex epitome E 1—7 et E 8—15 quae quam bene cum ordine supra demonstrato congruat non est quod iterum exponam. cum omnibus partibus optime convenit quamvis pauca et suo usus ordine delibaverit. tantum C 57—67 sprevisse videbatur, neque tamen prorsus neglexit. nam E 16 quidem cum C 67 tam cognata est, ut haud temere illi (= s. 93) hanc subiungas (= s. 94). quod si recte factum est, non minus recte cum E 15 sententias illas περὶ δικαιοσύνης C 48—56 ante C 57—67 et quae ab iis divelli nequeunt C 31—47 supra insertas esse comprobatur. — secuntur in E s. 17—25 quarum apud ceteros nulla recurrit. atque cum ex superioribus paucissima excerpserit, quod in extremis sententiis E tantum abundare videmus, sane mirum est. E 17 quidem et 18 ita comparatae sunt ut versus finem olim positas fuisse non negaverim (cf. e. g. Clitarchum qui inc. Ἕπου θεῷ, expl. Σοφοῦ . . μετὰ τὴν τελευτὴν τὸ κλέος ᾄδεται), sed quae restant siquidem omnia sunt Moschionis vix iusto ordine exhibentur. possis suspicari tertiam esse epitomen, si comparaveris E 19 cum s. 14 sqq. (τύχη), E 23 cum s. 24 sqq. (πενία), tamen reliquas quomodo interseras non liquet neque credi potest E in tertio hoc delectu ne semel quidem in eclogam incidisse a ceteris collectionibus allatam. quare tutius visum est E 17—25 suo loco relinquere et in fine omnium appendicis instar collocare. hoc unum addo, ut in Moschione E, plane eodem modo in Clitarcho C — quae eadem est collectio Parisiensis — priore parte satis accurate cum ceteris recensionibus congruere, nova multa in fine adicere.

his rebus feliciter peractis et de singulis collectionibus et de antiquo gnomologio Epicteti seu Moschionis rectius iudicari potest. atque F fragmentum tantum esse sive quintae fere particulae (s. 5—26) excerptum supra iam cognovimus. plura non exstare valde dolendum est, nam etsi nonnulla et ipse praetermisit (v. s. 18. 20ᵃ—22. 24), tamen ceteros tam longe superat, ut totam illam seriem s. 6—13 fere solus servaverit, nam frustulum tantum (s. 10) inde decerpsit E. sed magis etiam mirandum est vel pusillum illud fragmentum per medii aevi saecula adeo in deliciis habi-

tum esse ut totiens describeretur (cf. i. p. 11), praesertim in codicibus Βασιλικῶν ubi plerumque legitur inter testamentum Gregorii Theologi et tractatum de bissexto — 'sunt autem praecepta . . folium quartae formae unum vix excessura; quid enim multis ad recte beateque vivendum praeceptis opus?' ut dicit Kollarius ad Lambecii comm. 5, 338.

ad Stobaeum ut transeamus, ea primum examinanda sunt quae sat integra in Florilegio q. d. leguntur. atque auctor gnomologii post sententias de deo quas D servavit, in iis quae F potissimum debentur generaliter exorsus concludit s. 13 et 14 Μὴ πίστευε τύχῃ καὶ πιστεύσεις θεῷ, deinde pergit s. 15 Ὁ τύχῃ βίος συμπεπλεγμένος ἔοικε χειμάρρῳ ποταμῷ κτλ. ab hac sententia in capite περὶ ἀρετῆς incipit Stobaeus et magnum deinde eclogarum numerum in opus suum transcripsit. sed mireris eum a s. 15 neque a s. 16 Ψυχὴ ὁμιλοῦσα ἀρετῇ ἔοικεν ἀεννάῳ πηγῇ κτλ. initium fecisse, nam s. 15 non ἀρετὴν spectat, sed τύχην de qua antea (inde a s. 12) agitur quamque mittit scriptor inde a s. 16 ut ad ἀρετὴν progrediatur; sed quoniam verborum structura s. 15 et 16 coniunctae sunt, ea de re cum Stobaeo non disceptabimus. verum ne proxima quidem proprie ad caput περὶ ἀρετῆς pertinent. nam ne dicam de s. 18 sqq. quae sunt περὶ ἁμαρτημάτων et quarum pars (s. 19—20[a]) mirum in modum sub Pythagorae nomine in cap. 13 περὶ παρρησίας legitur (cf. etiam Fl. 13, 24. 26. 27) et hanc ob causam a Stobaeo nunc omittitur, certe quae inde a s. 24 usque ad s. 43 (una excepta s. 25 qua de v. i.) plene descripsit, non sententiae sunt περὶ ἀρετῆς, sed περὶ πλούτου καὶ πενίας (suo prooemio instructae Ἐξέταζε σαυτὸν κτλ.) et περὶ σίτου καὶ ποτοῦ. quae omnia Stobaeus procul dubio ideo continuavit, quod eodem modo ea in exemplo suo coniuncta repperit neque in capita discripta habuit. nam capita si in codice fuissent aut tituli singulis partibus inscripti, in sua quaeque capita distribuisset et sententias περὶ πλούτου e. g. Flor. c. 91—97 dedisset. transcripsit igitur ut erant neque legentis sed suo commodo consuluit. quamquam ea illuc potius spectare eum non fugerat. nam ut s. 19—20[a] in Flor. cap. 1 omisit ne post Flor. 13, 33—35 iterarentur, ita s. 25 nullam aliam ob causam hic praeteriit nisi quod Flor. cap. 97 (inscr. σύγκρισις πενίας καὶ πλούτου), 30 etsi Hypsaei nomine eam iam collocatam videbat. — quae sequebantur sententiae περὶ φιλίας eas quidem separavit et exsecuit ut in libro II poneret unde sumpsit D, sed tam leviter rem egit, ut s. 44 quae manifesto eodem pertineret relinqueret et cum eclogis illis περὶ πότου dormitanter in capite περὶ ἀρετῆς describeret. utrimque igitur et s. 15 et s. 44 fines excessit, finibus diversissima inclusit.

inde a s. 44 quot eclogas περὶ φιλίας et qualia cum illis transiluerit non constat, cum libri I et II integri non supersint. sed in capite περὶ ἀρετῆς rursus pergit inde a s. 54, verum quae legimus aperte sunt sententiae περὶ ἀληθείας καὶ δόξης, quas ni fallor quod miscellae videbantur farragini capitis περὶ ἀρετῆς relinquere quam alium in locum deferre maluit. sententias 57—65 recte seiunxit et capiti περὶ δικαιοσύνης tribuit, sed in capite περὶ ἀρετῆς iterum inde a s. 66 composuit sententias primum περὶ ἐλευθερίας καὶ δουλείας, deinde οἰκονομικὰ nonnulla tamquam alius locus non pateret, atque ea quoque procul dubio ita descripsit ut in suo exemplo coniuncta exstabant. tam diversa Stobaeus uno in capite constipavit sua ipsius dispositione neglecta, tamen ipsi neglegentiae debemus quod per tam prolixum excerptum ordinem atque nexum sententiarum qui antiquitus fuerunt recognoscere licet. quid mirum igitur quod Conr. Gesner ordinem codicum turbatum esse ratus transpositis eclogis Stobaeo succurrere sibi visus est et C 8—30 (s. 24 sqq. Ἐξέταζε σαυτόν, πότερα πλουτεῖν θέλεις κτλ.) et 35—45 (s. 71 sqq. Ὅπερ φεύγεις παθεῖν κτλ.) in cap. περὶ σωφροσύνης (5, 84—117), C 46 et 47 (s. 81. 82) in cap. περὶ φρονήσεως (3.77. 78) detulit et C 22 (s. 39) in cap. περὶ κακίας (2,30) repetivit, quamquam ne ita quidem ut bene dispositae essent perfecit. quae nunc O. Hense in codicum ordinem restituit (cf. mus. rhen. 39, 392), recte eum restituisse et rerum argumento et ceterarum collectionum ordine comprobatur. — in C 47 explicit excerptum varii argumenti capitis περὶ ἀρετῆς, ab oeconomicis sententiis politicas (C 57—67) Stobaeus separavit. quarum unam rettulit ad cap. 45 περὶ τῶν ἐν ταῖς πόλεσι δυνατῶν, reliquas ad cap. 46 περὶ ἀρχῆς κτλ. ut quae coniunctae erant non divelleret. locum quidem recte adsignavit, sed iterum compilatorem deprehendimus non nimis accuratum. nam cap. 46 περὶ ἀρχῆς καὶ τοῦ ὁποῖον χρὴ εἶναι τὸν ἄρχοντα si examinaveris, multa ibi reperies de aequo iudice dicta et similia eorum quae ex Epicteto capiti περὶ δικαιοσύνης mandaverat. qua re et ipsa id certe comprobatur, Epicteti sententias περὶ δικαιοσύνης a sententiis περὶ οἰκίας et περὶ πολιτείας remotas atque illis anteriores fuisse.

quae idcirco fusius persecutus sum, quia maxime idonea videbantur ad illustrandam artem atque rationem qua in componendo thesauro Stobaeus usus est. nam quod tam varia in uno capite congessit, documento est exemplum quod Stobaeus secutus est sententias non inscriptionibus seu paragraphis distinctas habuisse, sed delectum ipsum Stobaeum instituisse. quod quo iudicio fecerit vidimus. hinc autem explicatur diversa illa quae in Stobaeo observatur excerpendi consuetudo. nam e. g. placita philosophorum per omnia capita distribuit quippe quae ipsa secundum capita discripta essent eademque capita essent quae suae dispositioni fundamento erant. contra Epictetum in paucas easque maiores partes divisit et paucis capitibus adsignavit, quod etsi ad rem parum apte factum est, nobis eo utilius evasit ad pristinum ordinem recuperandum; rursus aliter in Epicteto rem gessit E qui ut verus florilegus hinc illinc sententias excerpsit et suo modo composuit. itaque Stobaeus e. g. definitiones s. 8 sqq. singulis capitibus tam convenientes praetermisit aut alia aliis adnexuit et diversissima constipavit potius quam iustam sedem quaereret. quae res ad fontes quoque Stobaei indagandos maximi est momenti. nam siquis dum sententiarum thesaurum condit Epictetum satis habuit paucis capitibus quoquo modo consignasse, ille collectionem ipse non composuit sed thesauro qui praesto erat usus paucis levi manu aliunde adiectis novam atque auctiorem tantum editionem paravit. haec igitur eiusque generis additamenta secernenda sunt, quibus secretis florilegium nanciscimur id quod Stobaeus adhibuit, nam multa fuerunt inde ab antiquissimis temporibus collecta quae iterum atque iterum describebantur, augendo minuendo transponendo nova facie induebantur. fundamenta operis ab ipso Stobaeo iacta non sunt, totam dispositionem aliunde accepit; quae male posita sunt magnam partem ei debentur, initia et exitus partium quas singulis capitibus ipse addidit non semper apte distinxit (ut in Epicteto et s. 15 et 44 una transcripsit), ita ut saepius et quae olim praecesserint et quae subiuncta fuerint aliquo modo divinare possimus (cf. de simili errore in Democratis sententiis a Stobaeo commisso de Stob. cod. Phot. p. 7[1]). prae ceteris autem caput περὶ ἀρετῆς (illuc enim omnia referri posse videbantur) ut nunc e codicibus restitutum est egregium adest Stobaei ingenii atque artis documentum. sed haec iam releganda sunt, nam de Stobaei fontibus et singulorum capitum velut c. 46 origine ac compositione et de gnomologiorum Graecorum historia universa alio loco uberius agetur. unum addam, Pythagorae et Hypsaei sententias (Flor. 13, 33—35 et 97, 30) in illo florilegio quod Stobaeus denuo edidit et Epicteteis auxit iam exstitisse, nam illarum gratia Epicteteae collectionis easdem sententias 19—20ª et 25 omittendas esse censuit (cf. s. p. 6); ni fuissent, ipse Stobaeus si exscripsisset, cum s. 19—20ª etiam s. 18 ibidem exhibuisset. sed neque aliis nominibus tam parva excerpta alio transferre neque in Epicteto ut Flor. 13, 34. 35 fieri videmus subsequentia lemmate τοῦ αὐτοῦ inscribere solebat (excepto tamen capite περὶ πολιτείας ubi codices nescio quo iure singulis eclogis τοῦ αὐτοῦ appingunt). utut est, ad Epicteti gnomologium redintegrandum cum s. 19—20 etiam Pythagorae s. 20ª quae e Flor. 13, 35 accedit aeque utemur. nunc videamus de Stobaei partibus deperditis.

si in eis quae exstant C cum F comparamus, inde a s. 15 Stobaeus omnia plene descripsit exceptis quas modo dixi s. 19—20ª. 25; quae antecedunt in F, in Florilegium non recepit. quae si in Eclogis posuit, nam sine causa nil abiciebat, fortasse similiter atque in libri III cap. 1 περὶ ἀρετῆς in libri I initio quod erat ἔπαινος φιλοσοφίας talia congregravit (praesertim cum profanarum sententiarum esset exordium), nam illud quoque multifarias eclogas comprehendit, velut Demetrii et Sosiadis easdem fere VII sapientium sententiarum collectiones quas nunc in cap. περὶ ἀρετῆς (1, 172. 173 Hense) legimus (cf. de Stob. cod. Phot. p. 67). ut in F, ita in E vix insunt quae Florilegii partibus inserere possis (cf. s. p. 5), quae restant igitur eadem cum diligentia probalititer in Eclogis paucis quidem capitibus exaravit. atque frustula quaedam Eclogarum Vaticani codicis beneficio nobis reddita sunt. quae tam parva sunt ut Epicteti quoque s. D 1—4 et 5—8 nonnisi rudera Epicteteorum capitis de deo et capitum περὶ φιλίας habenda sint. auctor enim qui philosophiam cottidianam tanta industria et verborum profusione persequitur, in sententiis de deo a quibus exorsus est non minus prolixum se praestiterat. quae in D exstant proprie non deum sed πῶς χρὴ εὔχεσθαι θεῷ spectant, multo plura sine dubio de diis et deorum cultu antecedebant in quibus illius aevi homines Pythagorici (cf. Sext. app. II) multi erant. alterum autem fragmentum de amicitia quod quem locum tenuerit ipsius Stobaei socordia (s. 44) prodidit, exile excerptum ex capitibus Stobaei deperditis esse collectione E demonstratur, in qua ex eisdem partibus nova plura accedunt.

nam cum in C 1—67 quae in E recurrant 6 sint, in iis quae inter C 27 et 28 excerpta sunt ut in Eclogis collocarentur 7 fere sunt περὶ φιλίας et quae cognatae sunt eclogae; cum D tantum 4 servaverit, plus 70 olim fuisse probabiliter conieceris, quarum specimen aliquod in D 5—8 recuperavimus. ex ceteris singulas quidem sententias ad certa capita (περὶ εὐδοξίας, περὶ φήμης sim.) facile rettuleris, sed Stobaeo hunc morem non fuisse vidimus ut sententias discerperet. ita neque s. 8 sqq. in Florilegio exscripsit neque s. 14 sim. in I cap. 6 περὶ τύχης neque s. 53 (E 6 quae cum eclogis de amicitia verisimiliter coniuncta erat) in II cap. 46 περὶ ἀχαριστίας. denique eorum quae restant E 16—25 neque numeris neque argumento abutar ad plenioris gnomologii formam refingendam, cum neque satis constet de his eclogis et si rem spectamus in Florilegium potius cadant quod integrum ad nos pervenit.

F cognovimus fragmentum esse ex gnomologii initio sumptum, Stobaeum repperimus totum gnomologium habuisse et per pauca capita distributum descripsisse (licet multa codicibus mutilatis perierint), restat ut quaeramus quo modo E et qui eiusdem est familiae Maximus in excerpendo Moschione versatus sit. atque ille quidem singulis sententiis hinc illinc delibatis et per duplicem (sive triplicem) epitomen excerptis re vera florilegium condidit et syllogen tam novam effecit, ut pristinae formae ne speciem quidem aut vestigia agnoscas. quo factum est ut e. g. E 12 = D 5, E 5 = D 8; E 8 = F 6, E 2 = F 16; E 9—11 = C 13—27, E 7 = C 36, vel ut ea quibus idem argumentum tractatur divulsa sint ut περὶ φιλίας E 11. 12 et E 3—5, E 14 et 23 (siquidem haec olim coniuncta fuerunt). nec solum paucas easque breviores elegit, sed etiam e contextu solvit velut s. 10 ex s. 8—13, ex s. 71 initium (cf. s. 44), ex s. 30 ultimam partem excerpsit, atque ut nunc in E leguntur, et E 1—12 et 13—25 omnes talem speciem prae se ferunt ut primo obtutu hae quidem ab Epicteto alienae videantur; sed breviores etiam e. g. sententiae περὶ δικαιοσύνης sunt, et formam coartatam excerptor reddidit: quid sit cur ab auctore ea abiudicemus ad s. 95 declarabitur. item verba interdum mutavit ut hac quoque re E a C longius distet quam F, cf. ad s. 18, et s. 32 cum breviatio minus cederet monstrum evasit; quamquam in ipso quoque Stobaeo haud minus differunt codices et Trincavelli editio, ubi multa consulto et audacius mutata sunt. quae si computaverimus, quidquid est cur apud Stobaeum Epicteto, in ceteris collectionibus Moschioni inscribantur, non diversae sunt syllogae, sed unius gnomologii varia exempla sive recensiones variis rationibus ex eodem fonte derivatae.

cum E coniungendus denique est Maximus, qui ubi Epicteti nomine nostras sententias affert, Stobaeanae sunt (ex collectionis Parisiensis epitome Stobaei deductae), ubi Moschionis, eiusdem est collectionis Parisiensis pars illa quam E designavimus. atque cum in Moschione E unum ducem sequeretur (cf. ad s. 29), accidit ut et excerpta eadem repeteret et verba (cf. ad s. 32) et ordinem teneret quem innovavit E, ita ut in singulis capitibus cum E congrueret, contra antiquam vero seriem peccaret, cf. Max. cap. 6 = E 3. 4. 5. 12 = s. 48. 49. 50. 45 (Max. cap. 8 = E 6. 14 = s. 53. 52; Max. cap. 12 = E 10. 23 = s. 32. 101 coll. 24 sqq.).

iam Epicteti seu Moschionis gnomologio omni ex parte ni fallor feliciter restituto, quoniam neque de unitate operis neque de ordine dubitari potest, sequitur ut de auctore atque compositione quid statuendum videatur exponamus. atque si rem spectamus e. g. in Stobaei capite περὶ ἀρετῆς varias partes facile distingui iam Henricus Schenkl (die epiktet. Fragmente p. 10) perspexit etsi universi gnomologii dispositio eum fugerat. naturam tamen atque indolem operis non plane assecutus est; certe quod esse dixit p. 13 ‘eine nach sachlichen Rubriken geordnete Sentenzensammlung unter dem Namen des Epiktet’ quam in capita discribere conatus est, non satis apte dictum est. nam non est florilegium sententiarum undique decerptum, sed unius auctoris sunt aphorismi, neque secundum capita ab auctore distributi, sed altera sententia ex altera ducta est ut tamquam filum quo omnes inter se conectuntur cernere possis. quo ordine procedant ut summatim comprehendamus titulis Schenkeli similibus utamur, ordinem secuti quem supra indagavimus. sunt autem sententiae

1—4 περὶ θεοῦ

5 sqq. exordium sententiarum profanarum (περὶ ἀδοκήτου φαντασίας) et 14—15 περὶ τύχης

16—23 περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας καὶ σωφροσύνης

24—31 περὶ πλούτου καὶ πενίας

32—43 περὶ τρυφῆς καὶ πολυτελείας

(32—33 ὅτι τὸ καλῶς ζῆν τοῦ πολυτελῶς διαφέρει

34—36 περὶ σίτου καὶ ποτοῦ

37—41 περὶ ἑστιάσεων

42—43 περὶ τῶν παρὰ πότον ὁμιλιῶν)

44—52 περὶ φίλων (καὶ χρημάτων)

53 περὶ ἀχαριστίας καὶ εὐχαριστίας

54—56 περὶ ἀληθείας καὶ δόξης
57—65 περὶ δικαιοσύνης
66—73 περὶ ἐλευθερίας καὶ δουλείας
(66—68 περὶ ψυχῆς καὶ σώματος
69—73 περὶ ἐλευθέρων καὶ δούλων)
74—82 περὶ οἰκίας (καὶ φιλανθρωπίας)
83 sqq. περὶ πολιτείας.

quae tamen ab ipso auctore minime quidem tam distincte proferuntur. ut sententias περὶ θεοῦ mittamus (nam non nisi fragmenta servata sunt), qui s. 5 sqq. perlegerit, inveniet non simplices esse sententias, sed scriptorem generaliter exorsum similia similibus mirum in modum iniungere et tamquam verbo ad verbum deduci; ut voce ταράττει et ἀτρεμίζεις excitatur imago navis fluctibus agitatae, cui fortitudo in bello praestanda opponitur. deinde pergit ἀνδρεῖος γὰρ κτλ. et similiter ceteras virtutes persequitur, s. 13 autem ita concludit ut ad s. 11 et 12 tantum respicere videatur (δόξαν et τύχην), tum s. 14 relictis ambagibus pronuntiat Μὴ πίστευε τύχῃ καὶ πιστεύσεις θεῷ. iam τύχη menti inhaeret et sequitur s. 15 Ὁ τύχῃ βίος συμπεπλεγμένος ἔοικε χειμάρρῳ ποταμῷ· καὶ γὰρ κτλ. cui statim apponit eadem verborum structura s. 16 Ψυχὴ ὁμιλοῦσα ἀρετῇ (cf. 13 ex.) ἔοικεν ἀεννάῳ πηγῇ· καὶ γὰρ κτλ. vides non sententias esse florilegii in modum compositas aut secundum argumentum dispositas, sed ut dixi aphorismos qui non interrupto fere filo producuntur, atque ita ut saepius non res sed verbum quoddam proximae originem dederit. longum est singula persequi, quare infra diductis litteris verba aut notiones intermedias expressi, ut aliquo modo significarem quomodo singulae sententiae inter se cohaereant. pauca tamen nota digniora afferam, cetera in notis indicabuntur. s. 20[a] etsi a Stobaeo Flor. 13, 35 inter Pythagorea exhibetur inserui, nam coniuncta est cum Flor. 13, 33. 34 = s. 19. 20, verbum autem πάθος quod incidit, ansam dedit s. 21 Κόλαζε τὰ πάθη κτλ. ut lacuna quae erat inter C 4 et 5 iam optime expleatur. post s. 22. 23 (quas genuit recordatio s. 11) novum alitum ducit et sollemniter novam rem aggreditur s. 24 Ἐξέταζε σαυτόν, πότερα πλουτεῖν θέλεις ἢ εὐδαιμονεῖν κτλ., ut post sententias de deo s. 5 inc. Παραφύλαττε σαυτὸν ἐν παντὶ τῷ βίῳ κτλ. sed harum quoque sententiarum origo inest in s. 1 Θεοῖς θῦε μὴ ἡνίκα ἂν πλουτήσῃς, ἀλλ' ἡνίκα ἂν φρονήσῃς, τὸ γὰρ.. φρονεῖν μόνον ἴδιον εὐδαιμόνων. secuntur largae sententiae περὶ πλούτου et de similibus, sed et ipsae quamvis arte inter se coniunctae sint, aphorismorum instar omnes proferuntur, ut κομματικοὶ λόγοι quos dixit Simplicius Pythagoricorum. caesura certe est inter s. 43 et 44, etsi lacunam statuere non audeo, cum Stobaeum qui post s. 44 eclogas περὶ φιλίας resecuit, ante s. 44 alia transiluisse parum probabile sit; praeterea προσομιλοῦντα fortasse cum ὁμιλίαις s. 42 conferri potest. contra plura in hac parte interciderunt ubi integra Stobaei excerpta desiderantur; nonnulla certa lacuna absumpta sunt ante s. 54, quia nexus turbatus est. in sequentibus quod s. 54—56 sententias περὶ δικαιοσύνης subiunxi, iam magis etiam apparet me recte fecisse. porro s. 66 sqq. a praecedentibus maxime quidem distant, sed verba si respicio Ἐλευθερία καὶ δουλεία, τὸ μὲν κτλ. quibus novam rem se exordiri quasi ipse profitetur, quaedam excidisse non contenderim. ceterum ut s. 54—56 et 57—65 ad s. 11 respiciunt, ita fortasse s. 66 τύχη et προαίρεσις quodammodo ad s. 12 redeunt. tum s. 82 et 83 et 84 (Stobaei περὶ ἀρετῆς ultima et περὶ πολιτείας c. 45 et 46 primae) quam bene conveniant supra exposui, in eadem autem imagine omnes versantur. ultra s. 93 Stobaei excerpta non adsunt, sed plura sine dubio fuerunt, atque E 16 etsi non ipsi s. 93 subiunctam dixerim tamen haud procul ab ea afuisse affirmaverim. quae restant qualia fuerint et quibus rebus totum gnomologium finiverit, prorsus incertum, quoniam ad hanc quaestionem solvendam E 17—25 aliqua cum probabilitatis specie uti non licet.

auctor quis fuerit difficile dictu est. ab Epicteto haec prorsus aliena esse, vix est quod moneam; quantum Epictetus personatus ab illo distet, exemplo esse possunt s. 2—4 coll. Epict. fr. 17 Schenkl (Stob. Fl. 4, 92 M.), s. 32 coll. fr. 18 (Stob. Fl. 4, 93 M.), s. 41 coll. fr. 25 (Stob. Fl. 20, 67 M.) cf. Schenkl die epictet. Fragm. p. 14 et Epict. p. 461, et magis etiam apparebit ex Schenkeli indice Epicteteo. neque de Moschionis nomine certa proferre licet (cf. Fabricius Bibl. Graec.[1] 12, 705, Bandini catal. bibl. Laur. 1, 532, Lambecii comment. bibl. Vindob.[2] 5, 338, Joecher Gelehrtenlexicon sub nomine, Meineke Ber. ü. d. Verh. d. Akad. Berlin. 1855, 239, Wachsmuth Studien p. 129). aetatem aliquo modo circumscribere liceret si quos ille fontes sive auctores adhibuerit definiri posset; velut in Sexto est ubi priorum gnomologiorum vestigia recognoscas, sed in Epicteteis mihi non contigit ut talia detegerem. certe multa habent quae apte cum Sexto et Pythagoricis conferantur, sed minime eis 'cum Sexti sententiis permulta sunt communia' nisi ad vulgaria descendas, immo alterum alteri ad manus fuisse audacter

nego. neque similibus locis undecumque ut solent corrasis abuti volui inutilibus nisi faciunt ad quaestionem de gnomologiorum origine et propagatione provehendam. alia auxilia exspectanda sunt et cetera quotquot exstant gnomologia quo decet modo recensenda et pertractanda, antequam illorum historiam perscrutari poterimus. ita de Epicteto omnis opinio dubia haerebit, dum de Pythagorae (diversi illius quidem a Sexti familiae Pythagoricis) et Hypsaei sententiis certiores fiamus et quales fuerint, unde venerint exploratum habeamus, quas non ab ipso Stobaeo appositas sed iam in antiquiore thesauro lectas fuisse supra demonstravimus, plura autem de his etiamnunc sciri posse spondeo. interim cum hanc de nostro auctore quaestionem ad finem perductam non haberem et ut perduceretur altius repetendum esset quam nunc fieri potest, suspicionibus de persona patria aetate disciplina abstinere malui. sed cum gnomologio restituendo operam dederimus et ipsas sententias infra propositurі simus, id addendum videtur ut verborum structura et compositione examinata peculiare scriptoris ingenium atque indoles paucis demonstretur.

Epictetum si cum Sexto Pythagoricisve comparaveris, et quam longe distent statim elucebit et illius naturam clarius perspicies. noster verbis abundat neque unquam verbis contentus sententiarum ieiunitatem verborum tinnitu superare, stultitiam et ineptiam celare studet; Sextus in verbis longe parcior, non semper perspicuus aut probatae sapientiae, at sobrius et modestior. ut in verbis turgidus, ita in rebus ille vulgaria profert et ad humillima delabitur, Sextus cui σοφὸς ἀνὴρ et πιστὸς continuo in ore est (apud nostrum ne semel quidem), in omnibus sapientis antiqui exemplum imitatur. Sextus sententias quidem non nullo ordine effundit neque in florilegii modum componit, sed solutior est et singula ut cuiusque rei in mentem venit libere emittuntur, ita ut qua similitudine et quo idearum nexu cohaereant divinare potius quam cernere possis. contra noster in verba proruit, verbo aliquo ductus ad nova procedit, saepe uno verbo monitus (cf. 65) alia adnectit, in concludendo a proposito aberrat, tamen ab ultimis semen accipit quo proximae fruges oriuntur (cf. 8—15 et 16 sqq.), saepe redit ad argumentum cuius memoria menti inhaeret, verba ita inflectit et detorquet ut semper novi quiddam effingat sensus nulla fere habita ratione; gliscit aliquod verbum et paullo post prosilit, quae semel dixit per ambages repetit et ubi minus feliciter opera cessit novis sententiis superimpositis emendare et amplificare conatur. multum deinde interest in sententiarum structura. Sexti praecepta brevia sunt, simplicia, verbis quae cuique sententiae conveniunt expressa, forma in rebus tam similibus semper variata. Epictetus omnia uno stilo describit, ad unam regulam exigit, tam constanter unum exemplum eandemque formam sequitur, ut si unam sententiam legeris, totum scriptoris ingenium cognitum habeas. vide e. g. s. 49 Βέλτιον πολλὰ χρήματα ἀπολέσαντα | ἕνα φίλον κτήσασθαι | ἢ ἕνα φίλον ἀπολέσαντα | πολλὰ χρήματα κτήσασθαι. antitheses sunt et antitheseon tam amans est, ut ne verbum quidem proferre queat quin alterum opponat. ita vel simplicissimas res per antithesin pronuntiat velut s. 14 Μὴ πίστευε τύχῃ καὶ πιστεύσεις θεῷ, s. 17 Εἰ βούλει ἀγαθὸς εἶναι, πρῶτον πίστευσον ὅτι κακὸς εἶ, cf. s. 8—12. 76 al. eandem ob causam comparationes in deliciis habet, quae egregiam praebent materiam ad talia fingenda velut s. 57 Ὥσπερ ἀληθὴς ζυγὸς | οὔτε πρὸς ἀληθοῦς εὐθύνεται ζυγοῦ | οὔθ' ὑπὸ ψευδοῦς κρίνεται, | οὕτω καὶ ὁ δίκαιος κριτὴς | οὔθ' ὑπὸ δικαίων εὐθύνεται | οὔτε παρ' ἀδίκοις δικάζεται. ad hanc antitheseos formam omnia redeunt, quamquam non sine arte hac quoque in re varietatem aliquam assecutus est et antitheseon genera modo simplicia modo ampliora in classes discribere possis. verum res tam clara et perspicua ut pluribus persequi taedeat; ne verba iterum exscribam ipsas sententias adeas. sed Sexti ea non sunt similia neque apud ullum alium scriptorem tantam stili constantiam me repperisse memini. ceterum hac dementia saepius trahitur ad insulsissima effata, dum verba sequitur sententiam perdit, multa quae propter antithesin infeliciter opposuit, mox detorquet, ut aliquid dixisse videatur; est tamen ubi nisi hac consuetudine perspecta quid voluerit extricare non possis (cf. 25). exempla in notis cum cura indicavi.

item in rebus quas tractat intra angustos fines se continet. argumenta composuimus; de deo initio egit, in sequentibus raro (s. 14. 39. 50) meminit, cum Sextus et Pythagorici ad deum omnia referant. de pietate erga parentes quae in his gnomologiis cum deorum cultu sociari solet, et de matrimonio et liberis ne verbum quidem. contra multa de paupertate, multa de servis, iudicibus, viris rei publicae studiosis, multa etiam de πολυτελείᾳ in cenando et in aedificiis struendis. sed in his rebus omnibus sapientiam sequitur cottidianam et adeo vulgarem ut hominem rusticum et

philosophia leviter imbutum se praebeat. hominis singularitatem cognosces si e. g. contuleris quae περὶ τροφῆς Musonius scripsit (Stob. Fl. 17, 43 M.), nam ille quoque περὶ τροφῆς εἰώθει μὲν πολλάκις λέγειν καὶ πάνυ ἐντεταμένως ὡς οὐ περὶ μικροῦ πράγματος οὐδ' εἰς μικρὰ διαφέροντος, ᾤετο γὰρ ἀρχὴν καὶ ὑποβολὴν τοῦ σωφρονεῖν εἶναι τὴν ἐν σιτίοις καὶ ποτοῖς ἐγκράτειαν, et περὶ σκέπης (Stob. Flor. 1, 209 H. 1, 84 M. cf. Flor. 85, 20 M.), aut cum s. 32 sim. composueris Aristotelis fragmentum apud Stob. Flor. 3, 25 (cum Hensei adn., 3, 54 M.). neque minus in comparationibus ad humillima descendit (cf. s. 88—90), quae longe differunt e. g. a gnomicis illis homoeomatis (ut Socratis sunt apud Stobaeum) quorum multae inde ab antiquis temporibus ferebantur collectiones propediem edendae. denique in verborum delectu et compositione multa insunt quae apud alium scriptorem vix reperias. sermone saepe utitur tam depravato ut barbarum potius quam Graecum audire tibi videaris, et ni fallor linguae Graecae vulgaris exemplum nobis servatum est non commune. quibus ex rebus num quid de aetate et patria auctoris effici possit, huius rei peritioribus iudicandum relinquo; singula enumerare supersedeo quae rectius ad ipsas sententias adnotari videbantur.

sed ne intermina evadat praefatio, iam paucis de editione nostra additis concludamus. atque cum ea quae de restituendo gnomologio dicenda haberem apte explicari non posse viderem nisi ipsis sententiis adiectis, eas saltem ita edere constitui ut simul naturam atque compositionem monstrarem, et omnibus una propositis viam aperirem ad quaestionem de auctore atque disciplina definiendam. quare verba ita exprimenda curavi ut antitheseon membra pleraque in cola discripta essent quo facilius et sensus et structura perspicerentur, diductis autem litteris quantum quidem fieri potuit nexum atque argumenta sententiarum indicarem. deinde quoniam editores animadverti ad indolem scriptoris non satis attentos nonnulla minus recte peregisse et indignius visum est scriptorem qualemcumque male intellectum exhibere, operam dedi ut non solum verba accurate recenserem, sed in notis quam brevissime significarem quidquid ad sententias explicandas facere videretur — opus et laboris et taedii plenum. ne tamen fines excederem, intra scriptoris verba me continui, neve verba notarum mole obruerem, observationum corollarium cum indiculo subiunxi. — varias lectiones potiores tantum attuli. nam syllogae F lectionum farraginem satis visum est semel emisisse Schenkelium, Stobaei editio ab Henseo summa cum cura parata iam prela exercet, E cum ceteris partibus collectionis Parisiensis et Maximum (quem in E plerumque, in Stobaeo rarius adscivi) ipse propediem proferam. ceterum singulas quibus Epicteti sive Moschionis gnomologium componitur collectiones commode expressas ut dixi habes in Epicteti libris a Schenkelio edendis.

Notarum index.

D = Ἐπικτήτου sententiae ap. Stob. Ecl. fragm. 11—14. 17—21 in cod. Vat. 1144 saec. XV fol. 209^{v} (mus. rhen. 47, 131)

C = Ἐπικτήτου sententiae ap. Stob. Flor. cap. 1. 9. 45. 46, codd. MASTr.BrL(C.Par.) lectiones plurimas O. Hense Schenkelio, alias mihi commodavit, in cap. 1 (cf. s. p. 3) Hensei editio praesto erat

F = Μοσχίωνος ὑποθῆκαι (v. Schenkl die epiktet. Fragm. p. 77, Epictet. p. 486), in codicibus

A = Vind. iur. 1 s. XI ex. fol. 342^{v} | Vind. theol. 289 s. XV fol. 28^{v} | Par. 1357^{a} s. XIV fol. 292

B = b) Marc. 173 s. XII fol. 237^{v} | Par. 1346 s. XI fol. 273^{v} (336)

c) Arundel. 516 s. XII fol. 355 | Barocc. 173 s. XIII fol. 349

d) Vat. 854 s. XI fol. 264^{v} (eius apographon Vat. 855 s. XV—XVI fol. 311^{v}) | Par. 1356 s. XIV fol. 5^{v}

e) Laur. IV 10 s. XII fol. 299^{v} (eius apographon Barber. III 81 s. XVI fol. 97)

f) Ottob. 418 s. XIV fol. 72^{v})

g) nondum collati Vat. Pal. 13 s. XII fol. 346 | Leid. Voss. (Catal. p. 402, 18)

h) de cod. Hermolai Barbari cf. Centralblatt f. Bibliotheksswiss. 1, 387

E = Μοσχίωνος γνῶμαι (C. Par. prof. 300—324) in cod. Paris. 1168 s. XIII fol. 102 et Max(imo)

* * *

1[a] Θεοὺς δικαίᾳ καὶ μεμετρημένῃ διαθέσει τίμα,
ἀλλὰ μὴ ἀμέτροις δωρεαῖς κολάκευε·
οὔτε γὰρ κολακείᾳ χαίρει θεὸς
οὔτε ὁ κολακεύων τιμᾷ τὸ θεῖον.
[b] θεοῖς θῦε, μὴ ἡνίκα ἂν πλουτήσῃς,
ἀλλ' ἡνίκα ἂν φρονήσῃς·
τὸ μὲν γὰρ πλουτεῖν καὶ τῶν κακοδαιμόνων,
τὸ δὲ φρονεῖν μόνον ἴδιον εὐδαιμόνων.

2 Παρὰ θεῶν μὴ συνεχῆ αἴτει ὑγίειαν σώματος,
ἀλλὰ διηνεκῶς λάμβανε σωφροσύνην ψυχῆς, καὶ
οὔτε ῥᾳδίως νοσήσεις οὔτε νοσῶν δυσαρεστήσεις.

3[a] Μὴ ὧν ἐπιθυμεῖς ταῦτα παρὰ θεῶν αἴτει, ἀλ-
λ' ὅπως αὐτῆς ἀπαλλαγῇς τῆς ἐπιθυμίας τοῦτο
ζήτει παρὰ θεῶν.
[b] τότε σου εἰσακούουσιν οἱ θεοί,
ἡνίκα ἂν μὴ περὶ τῶν ἡδέων, ἀλλὰ περὶ τῶν κα-
λῶν εὔχῃ,
καὶ τότε σοι δώσουσι τὰ καλά,
ἡνίκα μὴ ἡδονῇ, ἀλλ' ἀρετῇ χαίρεις.

4 Μέμνησο παρὰ τῶν μεγάλων αἰτεῖν τὰ μεγάλα,
μικρὰ γὰρ οὐκ ἂν δοῖεν·
οὐδὲν θεοῦ μεῖζον καὶ ὑψηλότερον·
εὐχόμενος τοιγαροῦν θεοῖς αἴτει τὰ θεῖα,
ὧν οὐδὲν σάρκινον καὶ γήινον ψαύει πάθος.
1—4 = D 1—4 (Stob. fr. 11—14)

* *

5 Παραφύλαττε σαυτὸν ἐν παντὶ τῷ βίῳ,
μὴ λάθῃ σε συναρπάσασα ἀδόκητος φαντασία
ἢ φόβῳ καταπληξαμένη ἢ ἡδονῇ γοητεύσασα
ἢ ἐπιθυμίᾳ παραλογισαμένη ἢ λύπῃ ἐξαλλοιώσασα
ἢ ὀργῇ ἐξοιστρήσασα ἢ δόξῃ ἐκθυελλώσασα·
6 ἔπειτα πράττειν ἀναγκάσῃ οἷς ἐγχειρῶν μὲν οὐ
παρακολουθεῖς, παυόμενος δὲ μετανοεῖς,
ταράττῃ δὲ τὰ πλείονα καὶ ἀτρεμίζεις ἥκιστα,
δίκην ἀκυβερνήτου νεὼς ἐν χειμερίῳ κλύδωνι
ἢ ὑπ' ἀντιπάλων ῥιπιζομένης ἀνέμων ζόφῳ.
7 Ἀλλὰ γὰρ ὡς ἐν πολέμῳ τινὶ χρώμενος ὅπλῳ τῷ
λόγῳ πρὸς τὴν κακίαν καὶ σκοπῶν τὸ καλὸν καὶ
προβαλλόμενος, διατέλει ὑπάρχων
τὸ μὲν ἦθος εὐσταθής, τὴν δὲ γνώμην εὐσθενής,
τὸν δὲ λόγον ἐμβριθής, τὴν δὲ πρᾶξιν εὐπρεπής·
καὶ τὴν μὲν ὄψιν σεμνός, τὴν δὲ ὁμιλίαν ἤπιος,
τὸν δὲ τρόπον ἥμερος·
εὐγνώμων δὲ τὴν διάνοιαν, τὸν δὲ βίον χρηστός·
μὴ θρασὺς καὶ ὀργίλος, ἀλλὰ θαρσαλέος καὶ πρᾷος.
8 Ἀνδρεῖος γὰρ οὐχ ὁ τύπτων καὶ καταβάλλων τὰ
σώματα,
ἀλλ' ὁ ἀνεξικακῶν καὶ πάντῃ ἑστὼς τῇ διανοίᾳ·

de deo et deorum cultu plura initio exciderunt cf. p. 7, si minus, inciperet θεοὺς τίμα κτλ.; nunc praeter 1—4 de deo fere nihil cf. 14. 39. 50 ‖ 1 θεοὺς θεὸς θεῖον cf. 4 ‖ δικαίᾳ (cf. 43 ex.) καὶ μεμετρημένῃ διαθέσει propter ἀμέτροις δωρεαῖς ‖ ἡνίκα ἂν manifesto sensu finali coll. 2—4 et 24; cf. coroll. ‖ καὶ τῶν κακοδαιμόνων, contra μόνον ἴδιον (sine τῶν) εὐδαιμόνων apte ‖ 2 συνεχῆ αἴτει, contra διηνεκῶς λάμβανε ob penuriam verborum cf. 3 αἴτει — ζήτει ‖ αἰτεῖν 2—4 cf. 91—92 ‖ καὶ οὔτε ῥᾳδίως (cf. 50) νοσήσεις κτλ. mira conclusio ‖ de clausula καὶ . . νοσήσεις κτλ. cf. coroll. ‖ 3 τότε σου εἰσακούουσιν (non futuro), ἡνίκα ἂν περὶ τῶν καλῶν εὔχῃ, καὶ τότε σοι δώσουσι τὰ καλά κτλ. progressio est ‖ cf. 43 ἡνίκ' ἂν — τότε μὴ ἔα κτλ. ‖ ἡνίκα ἂν . . εὔχῃ — ἡνίκα . . χαίρεις (cf. 1) ‖ εὔχῃ περὶ ‖ ad ἀρετὴν omnia tendunt ut 13 ‖ 4 μέμνησο, ὅτι 37. 41 ‖ περὶ τῶν μεγάλων (cf. 3) cod.: corr. Schenkl, cf. 79 ‖ εὐχόμενος τοιγαροῦν κτλ. cf. 31 κτησάμενος τοιγαροῦν κτλ. cf. 38. 77. 32. 43 ‖ γήινον cf. 51 ‖ ψαύει cf. 66 ‖ 5 παραφύλαττε σαυτὸν novum exordium (et hinc F incipit) cf. 24 ἐξέταζε σαυτόν ‖ ἢ φόβῳ κτλ. similis abundantia ut 7. 8—12 (cf. ad 15/16), ordo nullus ‖ καταπληξαμένη cf. 26. 90 ‖ γοητεύσασα cf. 75. 93 ‖ ἐξοιστρώσασα A ‖ 6 ἀναγκάσῃ scripsi (cum Par. 1356) cf. 35: Ἔπειτα πρ. ἀναγκάσει ut novam sent. rell.; 5/6 φαντασία — πράττειν ‖ ἐπιχειρῶν A ‖ ταράττῃ δὲ τὰ πλείονα καὶ ἀτρεμίζεις ἥκιστα adiectum propter 5 ἐκθυελλώσασα, inde δίκην ἀκυβερνήτου νεὼς κτλ. ‖ ἢ et ζόφῳ delenda vid. (καὶ ζόφῳ c) ‖ ῥαπιζομένης A ‖ 7 ἀλλὰ γὰρ cf. 87 ‖ πολέμῳ] πόλει B ‖ τινὶ] de pronomine in comparationibus addito cf. Usener der h. Theodosios p. 114 ‖ ὡς ἐν πολέμῳ χρώμενος ὅπλῳ cf. 13 ὡς ἀλ. δυνάμει χρώμενος ‖ προβαλλόμενος διατέλει· ὑπάρχων Schenkl: corr. Brinkmann; διατέλει cf. 61 ‖ ὑπάρχων frequentissimum cf. 28. 40. 41. 43. 46. 66. 70. 71. 73 ‖ τὸν δὲ λόγον post χρώμενος ὅπλῳ τῷ λόγῳ ‖ 8—13 numerorum inconcinnitatem (coll. 46) pro-

9 καὶ ἐγκρατὴς οὐχ ὁ τῶν ἀπόντων ἀπεχόμενος,
ἀλλ' ὁ τῶν παρόντων μὴ ἁπτόμενος·
5—9 = F 1—5

10 καὶ σώφρων οὐχ ὁ τῶν κωλυομένων μὴ ἁπτόμενος. ἀλλ' ὁ τῶν συγχωρουμένων φειδόμενος·
10 = F 6 = E 8 (Max. c. 3)

11 καὶ δίκαιος οὐχ ὁ διὰ δόξαν τι νείμας,
ἀλλ' ὁ δι' ἀλήθειαν·

12 καὶ φρόνιμος οὐχ ὁ διὰ τύχην τι ποιήσας,
ἀλλ' ὁ διὰ προαίρεσιν.

13 Ἵν' οὖν δόξῃ μὲν ᾖς ἀχείρωτος,
τύχῃ δὲ ἐλεύθερος, κακίᾳ δὲ ἀπολιόρκητος,
μὴ ὡς κειμηλίους δεξάμενος ἀπόθῃ τοὺς λόγους,
ἀλλ' ὡς ἀλεξικάκῳ δυνάμει χρώμενος ἴθι ἐπὶ θύρας ἀρετῆς καὶ εὐδαιμονήσεις.

14 Μὴ πίστευε τύχῃ καὶ πιστεύσεις θεῷ.
11—14 = F 7—10

15 Ὁ τύχῃ βίος συμπεπλεγμένος ἔοικε χειμάρρῳ ποταμῷ·
καὶ γὰρ ταραχώδης καὶ ἰλύος ἀνάμεστος καὶ δυσέμβατος καὶ τυραννικὸς καὶ πολύηχος καὶ ὀλιγοχρόνιος.

16 Ψυχὴ ὁμιλοῦσα ἀρετῇ ἔοικεν ἀενάῳ πηγῇ·
καὶ γὰρ καθαρὸν καὶ ἀτάραχον καὶ πότιμον καὶ νόστιμον καὶ κοινωνικὸν καὶ πλούσιον καὶ ἀβλαβὲς καὶ ἀνώλεθρον.

17 Εἰ βούλει ἀγαθὸς εἶναι,
πρῶτον πίστευσον, ὅτι κακὸς εἶ.
15—17 = F 11—13 = C 1—3 (Stob. Fl. 1, 125—127 H.)

18 Βέλτιον ὀλιγάκις πλημμελεῖν ὁμολογοῦντα
σωφρονεῖν πλεονάκις
ἢ ὀλιγάκις ἁμαρτάνειν λέγοντα
πλημμελεῖν πολλάκις.
18 = C 4 (St. 1, 128) = E 1 (Max. c. 26)

19 Τὰ ἁμαρτήματά σου πειρῶ μὴ λόγοις ἐπικαλύπτειν, ἀλλὰ θεραπεύειν ἐλέγχοις.

20 Οὐχ οὕτως χαλεπὸν τὸ ἁμαρτάνειν,
ὡς τὸ ἁμαρτάνοντα μὴ ἐξελέγχειν.
19—20 = F 14—15

20a Ὥσπερ σωματικὸν πάθος οὐ κρυπτόμενον
οὐδὲ ἐπαινούμενον ὑγιάζεται,
οὕτως οὐδὲ ψυχὴ κακῶς φρουρουμένη καὶ συναγορευομένη θεραπεύεται.
19—20a = Stob. Fl. 13, 33—35 M. (Πυθαγόρου)

21 Κόλαζε τὰ πάθη, ἵνα μὴ ὑπ' αὐτῶν τιμωρῇ.

22 Μὴ οὕτως τὸ ἐκ τῆς δόξης αἰσχύνου,
ὡς τὸ ἐκ τῆς ἀληθείας ἀπόφευγε.
21—22 = C 5—6 (St. 1, 129—130)

pter F relictam excusaveris || ἀνδρεῖος ex 7 explicatur, tamen 9—12 similiter adnectuntur || πάντῃ cf. 24. 28. 42 || ἑστὼς τῇ διανοίᾳ propter καταβάλλων τὰ σώματα || 9/10 μὴ ἁπτόμενος non male repetitum | 10 ex 8—13 solam excerpsit E quare non mirum quod Σώφρων ἐστὶν οὐχ ὁ E Max., cf. 30 et coroll. || 11 τι languide, nec multo aptius 12 || νείμας et 12 ποιήσας post τύπτων κτλ. cf. 47 | 12 διὰ τύχην .. διὰ προαίρεσιν propter 11 | 13 mirum effatum: conclusio 11/12 (distant 8—10) respicit etsi minime convenit, κακίᾳ adiecta est, ἀλλ' ὡς ἀλεξικάκῳ δυνάμει χρώμενος (τοῖς λόγοις) cfd. cum 7 χρώμενος ὅπλῳ τῷ λόγῳ, et pervenit feliciter ad portas virtutis (cf. 3. 16 sqq.) et εὐδαιμονίαν (cf. 1. 24) || τύχῃ — ἀπολιόρκητος om. A || τύχῃ δὲ ἐλεύθερος propter concinnitatem cf. coroll. || ἀποδεξάμενος A | 13/14 καὶ εὐδαιμονήσεις — καὶ πιστεύσεις | 15/16 non satis bene sibi respondent, cf. 33. 46 | 16 ὁμιλήσασα F || καθαρὸν κτλ. de ὕδατι cogitat, et spectant 15/16 aquam potius quam vitam et animam | 17 tamquam propositio s. 18—23 || εἰ βούλει ... πρῶτον πίστευσον cf. 85 εἰ πρόκειταί σοι ... πρῶτον ἀνάθες, aliter πρότερον 59. 71 || πίστευσον cf. 14 || 18 βέλτιον ὀλιγάκις ὁμολ. κατορθοῦν σωφρονεῖν πολλάκις ἢ κτλ. E (qui ab ea incipit) et Max. e coniectura, male ut sententiarum nexu demonstratur || ἁμαρτεῖν Tr. | 19—20 (= F 14—15) quibus accedit 20a apud Stobaeum leguntur cap. περὶ παρρησίας (Flor. 13, 33—35 Mein., 13, 53—55 Hense), sed 19 Πυθαγόρου, non Ἐπικτήτου nomine, 20. 20a τοῦ αὐτοῦ inscriptae. videtur in cap. περὶ ἀρετῆς omisisse (non tamen s. 18) utpote cap. 13 iam exstantes cf. p. 6; 20a quo 20 et 21 inter se conectuntur, necessario inserendum erat cf. p. 7. 9 || 19 sententia distorta, exspectaveris ἀλλ' ἔα θεραπεύειν ἐλέγχοις (τὰ ἁμαρτήματά σου) sed cf. 20 || πειρῶ cf. 23. 69 || καλύπτειν A Stobaei | 20 de forma cf. 22 || οὕτως B: οὕτω A et Stob. cf. 22 || τὸ prius om. Stob. || ὡς τὸν in Stob. A e coni. propter τὸ prius om. | 20a θεραπεύεται cf. 19 || ἐπαινούμενον propter συναγορευομένη || κακῶς (καλῶς L) brevius dictum cf. 38 || 21 κόλαζε τὰ πάθη hac forma propter 20a etsi πάθος ibi alio sensu || 22 sq. propius ad 18—20a recedunt quam ad 21 quae incidente v. πάθος adiecta est || οὕτω Tr. cf. 20 || τὸ ἐκ τῆς δόξης tamquam πάθος (cf. 20a. 21, ut 46 οἱ κόλακες, οἱ φθονεροί, οἱ χρηστοί scil. φίλοι) sive ἁμαρτεῖν, non accurate dictum, sed ex proximis explicandum: αἰσχρὸν add. Buecheler Wachsmuth; τὸ ἐκ τῆς ἀληθείας propter meram concinnitatem (ἐκ post. om. Tr.,

23 Εἰ θέλεις καλῶς ἀκούειν, μάθε καλῶς λέγειν·
μαθὼν δὲ καλῶς λέγειν πειρῶ καλῶς πράττειν,
